



# Disputatio juridica inauguralis de exceptionibus

<https://hdl.handle.net/1874/345148>

10.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
EXCEPTIONIBUS.

QUAM  
FAVENTE DEO TÉR OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JACOBI VALLAN,

M.D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit.*

LUCAS SCHUURMAN. SWOLLA TRANS:

*Ad diem 25. Junii hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiar  
Typographi, clc Icc xci.

*Amplissimis, ac Gravissimis*  
*VIRIS,*

D. GERHARDO SCHUURMAN,  
operæ monetariæ Ordinum Westfrisiæ  
præfecto parenti omni amore profe-  
quendo.

N E C N O N

D. D. JOHANNI van MUYDEN,  
J. U. D. in Illustri Ultrajectensi Lycæo  
Professori Ordinario, promotori meo,  
omni honore colendo.

*Hanc Disputationem*

D. D. D.

LUCAS SCHUURMAN.

AUCTOR.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
EXCEPTIONIBUS.  
CAPUT. I.

*De origine & Exceptionum Utilitate.*



Uoniam actiones ad illam utilitatem sunt introductæ, ut sine armorum strepitu, id quod nostrum aut nobis debitum est, consequamur in judicio; dico in judicio, quia nemo sibi jus dicere, aut privatâ, quod sibi debetur, autoritate occupare potest. l. 13. ff. *quod met. caus.* Ita & Exceptiones in subsidium Rei ex naturali æquitate sunt comparatae, ut quisque justis armis ac defensionibus se, adversus intentionem actoris, tueri possit. *princ. Inst. b. t.* Quippe definit esse debitor is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem. l. 66. ff. *de R. f.* Quare actiones non magis actoris sunt propriæ, quam quidem exceptiones rei. Nam cui damus actionem, eidem & exceptionem competere, multo magis quis dixerit, l. 156. ff. *de R. f.*

Origo exceptionum est æquitas seu iniquitas actionis; Nam omnes actiones & Exceptiones ex æquitate naturali contra stratum jus sive contra juris rationem sunt introductæ. l. 66. ff. *de R. f. l. 1. §. 1. ff. de dol. mal. except.* l. 36. ff. *de V. O. l. 83. §. naturalis ff. de solnt. Gipha.*

DISPUTATIO JURIDICA

C A P U T II.

*De Exceptione definitione.*

**E**xceptio generaliter sumpta nihil aliud est quam necessaria defensio, & ita vocatur in l. 9. *in princ.* & in l. 11. *Cod. de exc.* stricte vero accepta, est quedam exclusio, quæ solet actioni cuiusque rei opponi, ad excludendum id, quod in condemnacionem intentionem (quam in conclusione libelli prescribit iudicactor *l. ult. Cod. de fideicom. lib. l. 18. ff. Comm. divid.*) deductum est, l. 2. ff. b. t. Dicitur exclusio, quia effectu inspecto non minus tollit obligationem & actionem, inde competentem, quam si ipso jure nulla esset. l. 40. de *Cond. indeb.* l. 112. ff. de *R. f. l. 3. §. 1. de Const. pecc.*

Definitur etiam quod sit conditio, quæ modo eximit reum damnatione, modo minuit damnationem. l. 22. ff. b. t. Dicitur conditio, quia Praetor olim dabat actionem vel pure non admissa rei exceptione, vel sub conditione, si hoc vel illud factum non sit. l. un. §. 6. *Ne quid in flum. publ. l. 2. §. 1. l. 4. §. 15. 32. & seqq. de dol. mal. except. l. 48. de procurat. l. 14. de publ. act. l. 10. de pign. & hyp.*

Exceptiones etiam indigitantur præscriptiones, videlicet quod sint exceptiones temporis, quibus actiones aliaque jura vel permutuntur, vel effectu destituuntur.

C A P U T III.

*De primâ divisione*

**S**umma Exceptionum divisio est, quod sint vel civiles, quæ ex legibus, Senatusconsultis, vel principum constitutionibus descendunt. Vel Praetoriae, quas Praetor æquitatis custos ex sua jurisdictione introduxit: ut exceptio, quod metus causâ, de dolo, errore, in factum; pauci, jurisjurandi, & rei judicatae, de

## I N A U G U R A L I S. 5

de quibus singulis, in sequentibus exordior suspensa cæterarum  
Exceptionum divisione.

### C A P U T IV.

#### *De Exceptione, quod metus causa.*

**E**xceptio metus causa Præatoria & peremptoria est, quæ datur ei qui metum in negotio passus est, contra ex eo agentem, etiam si hic metum non intulerit. *l. 4. §. 33. §. 1. Inst. de except. Pickard. 1. §. 1. d. 41. N. 14.* Et locum habet in omnibus contractibus tam bonæ fidei, quam stricti juris. Ut *Paul. Voet.*

Metus est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. *l. 1. ff. quod met.* Metus justus dicitur, qui cadit in constantem & fortē virum: Ut metus carceris, &c.

Qui autem metu inductus ad dandum vel faciendum consenserit, potest, quoniam stricto jure ob consensum quidem est obligatus, metus exceptione se tueri. *l. 3. §. ult. h. t.*

Exceptio metus causa dicitur in rem scripta ut & metus actio. Non inspiciendum est, an is, qui agit metus causa aliquid fecerit, sed an omnino metus causa factum sit in hac re a quocumque non tantum ab eo, qui agit.

Et quamvis de Dolo autoris exceptio non objiciatur: verum tamen hoc jure utimur, ut de metu non tantum ab autore, sed quocumque adhibito, exceptio metus objici possit. *l. 4. §. 33. h. t. Struv.*

Non autem potest objicere, qui metum a parente passus est, in cuius potestate fuerit: quia parenti licet deteriorem conditionem liberorum in rebus peculiaribus facere. Verum si abstinuerit paterna hæreditate, Succurrendum ei erit, ut aliis succurritur metum passis. *l. 4. §. 4. h. t. Struv.*

Differt hæc Exceptio ab Exceptione doli quod metus Exceptio fit in rem scripta doli vero dirigitur in certam personam. *l. 4. §. pen. de except. dol. & met.*

## DISPUTATIO JURIDICA

### C A P U T V.

#### *De doli mali Exceptio.*

**E**xceptio doli mali est actionis summo quidem jure exclusio, sed contra æquum bonique, rationem competentis, ne cui dolus suus per occasionem juris Civilis, contra naturalem æquitatem proficit. §. 1. *Inst. de Except.* l. 1. §. 1. ff. b. t.

Dividitur in generalem, quæ concurrit cum omnibus aliis exceptionibus, ex omni causa nascens, unde id, quod petitur, exceptione elidi potest, quamvis initio nihil dolo factum sit negotii. l. 2. §. 5. l. 4. §. pen. l. ult. b. t. l. 3. 6. de *V.O.* l. 27. §. 5. ff. *[de paet.]* l. 3. *Cod. de except.*

Et specialem, quæ originem habet ex negotio, quod ab initio dolo malo gestum est. §. 1. *Inst. de Except.* l. 5. §. ult. ff. b. t. l. 5. *Cod. de inut. stip.* Competens iis, qui summo jure obligati sunt, sive ipsi dolum passi sunt sive non l. 2. §. 2. ff. *de Except. dol. mal.* eorumque hereditibus & fidejussoribus. l. 7. §. 1. *de Except.* contra omnes, qui dolum admiserunt l. 4. §. 4. b. t. Non tamen contra Patronum aut parentem a liberto aut filios fam. l. 4. §. 16. b. t. propter reverentiam ipsis debitam.

Illa autem exceptio specialis sive tempus intra quod, sive ad quod instituenda est, respicias, peremptoria ac perpetua est l. 5. §. ult. ff. b. t. §. 9. *inst. de Except.* Generalis vero tanquam accessio seu adjectitia qualitas naturam & Conditionem eorum, cum quibus concurrit, semper sequitur l. 2. §. 4. 5. b. t.

Contra doli exceptionem non doli replicationem dari docet. *Vlp. in l. 4. §. 13. h. t.* Iniquum enim esset communem malitiam petitori quidem præmio, & ei, cum quo agatur pœna esse: cum longè æquius sit, ex eo, quod perfidè gestum est, actorem nihil consequi. l. 4. §. 13. h. t. *struv.* Exceptio doli perpetua est, licet actio de dolo biennio concludatur. l. ult. *Cod. de dol.* Ratio differentia est, quia in potestate actoris est, quando ex interdicti causa, vel actione de dolo agat, non est in potesta-

te

## I N A U G U R A L I S. 7

te rei, quando conveniatur, proinde non est in ejus potestate  
quando excipiat. *l. 5. §. ult. ff. de dol. mal. except.*

### C A P U T V I.

#### *De Exceptione in factum.*

**E**xceptio in factum est quæ oritur ex negotio quodam inno-  
minato, vel quæ opponitur personæ, cui non licet doli  
mali exceptionem opponere. *l. 4. §. 7. de dol. except.* qua impu-  
gnat actionem is, qui errore lapsus quid stipulanti promiserit,  
cum non videatur consentire qui errat. *l. 116. §. ult. ff. de*  
*R. 7.*

Hæc autem exceptio ideo vocatur in factum quia nomine vo-  
cat; similiterque aliæ exceptiones certum nomen non habentes,  
dicuntur in factum.

### C A P U T V I I.

#### *De Exceptione non numeratæ pecuniae.*

**E**xceptio non numeratæ pecuniae est ex jure Civili perempto-  
ria, quæ datur illi, qui futuro creditori suo stipulanti pro-  
misit, se pecuniam, quam ab ipso accepit, solitum, cum ta-  
men numerata non sit. Et hac stipulatione tenetur quidem pro-  
missor stricto jure; sed quia inconveniens est rationi, cum co-  
gi ad reddendum id, quod nunquam accepit; ideo hac excep-  
tione, contra actorem sine causâ ex stipulatione agentem, se tueri  
potest. *Perez. in Cod.*

Hæc exceptio competit non tantum debitori, sed & hæredi  
ejus: Ita tamèn, ut tantum competit residuum tempus, quod  
defuncto ad exceptionem competebat. *l. 8. Cod. de non num.  
pecun.*

Fidejussori quoque & mandatori hanc exceptionem, exemplo  
rei principalis, competere decisum est in. *l. 12. Cod. b. r.* quia  
non personæ sed rei cohæret. *Perez. in Cod.*

C A-

## DISPUTATIO JURIDICA

Olim hæc exceptio non numeratæ pecuniæ erat quinquennis, a Justiniano facta est biennis. l. 14. Cod. b. t. Vinn. Causam suæ mutationis refert. Perez. in Cod.

Opponitur autem illa exceptio intra biennum. Imo & post biennum quoque certum est competere, si debitor intra præfinitum biennii tempus questus sit de pecuniâ non numeratâ. Etenim post hanc querelam, quæ sit lite contestatâ, interpositam incipit exceptio esse perpetua, tam debitori, quam ejus hæredibus, & tam adversus creditores quam ipsorum hæredes. l. 8. Cod. de non num. pec. Vide & Perez.

Effectus autem hujus exceptionis est hic, quod rejiciat onus probandi in adversarium, ita ut donec is probaverit numerationem a se factam, non Cogatur ad solutionem debitor. l. 3. Cod. b. t.

### C A P U T VIII.

#### *De Exceptione pacti.*

Exceptio pacti est, quæ competit debitori, qui cum creditore suo pactus est de non petendâ pecuniâ, quam ei ex civili obligatione debebat.

Obligatio autem civilis pacto non tollitur sed quidem naturalis. l. ult. in prin. ff. de jurejur. l. 95. §. naturalis ff. de solut. Ratio est, quod in obligatione civili jus continetur, & in pactis, quæ jure nituntur naturali. l. 1. ff. de pact. factum versatur. l. 27. §. 2. ff. de pact. Giphian. At Civilia non tolluntur per naturalia. §. ult. de leg. agnat. tut. Cum unumquodque ea modo tollatur quo colligatum est. l. 35. l. 100. ff. de. R. f. Qua de re efficax est adversus debitorem actio: sed quia iniustum esset, contra pactionem eum Condemnari, defenditur per Exceptionem pacti conventi. §. 3. Inst. de Except.

C A-

## I N A U G U R A L I S . ,

### C A P U T I X.

#### *De Jurisjurandi Exceptione.*

**J**usjurandum, quod remedium expediendarum litium dicitur  
in. l. 1. ff. b. 2. definitur quod sit religiosa asseveratio Deo  
teste facta, cum execratione nostri, si scientes fallamus.

Si autem Jusjurandum debitori a creditore deferatur, & ju-  
raverit debitor, nihil se dare oportere, obligatus autem manet,  
quia non magis jusjurandum, quam pactum, modus est dissol-  
vendæ obligationis jure Civili constitutæ: verum naturalem tol-  
lit. l. 95. §. 4. ff. de solut. Vinn. Attamen exceptione juris-  
jurandi, quæ perpetua est, debitor se tueri potest. Iniquum  
esset de persilio ejus queri, cui sit delatum, quia jusjurandum  
ex conventione proficiscitur, & speciem transactionis habet. l. 2.  
l. 25. & l. seq. in fin. de jurejur. Vinn. A Prætore tanquam pa-  
ctum conventum defenditur, Ideo si quid petat creditor repel-  
litur per hanc exceptionem jurisjurandi: contra quam concedi  
non debet replicatio doli. Nihil interesse actionem quis habeat,  
an actio per hujusmodi exceptionem infirmetur. l. 112. ff. de  
R. f. l. 66. eod.

### C A P U T X.

#### *De rei Judicatæ Exceptione.*

**E**xceptio rei judicatae est peremptoria, competens reo per  
sententiam judicis a lite principali absoluto. l. 9. l. 17. ff. de  
except. rei jud.

Eiusque hæredi & fidejussori. l. 21. §. ult. eod. contra acto-  
rem ejusque successores. l. 28. eod. modo eadem quæstio inter  
eosdem revocetur, eorumque successores de eadem re; ex ea-  
dem causa. l. 3. 12. 13. 14. ff. b. t. Ratio est proponendæ  
exceptionis, quia sententia judicis, licet, si condemnatoria  
B sit,

fit, pariat actionem rei judicatæ. *l. 6. §. ult. de rei jud. except.*

Non tamen ipso jure tollit obligationem vel Civilem vel naturalem. *l. 60. ff. de cond. indeb.* Quare ad elidendam actionem inde, non obstante rei judicatæ auctoritate, summo jure competentem, danda erat hæc exceptio ob quam causam; hæc exceptio datur facile conspici potest in *Weselb. par. b.t.*

Plures quidem exceptions occurruunt exponendæ; sed quia nimis ampla foret mea disputatio, ordinem exceptionum in institutionibus propositarum insecutus fui, cum illæ celebriores cæteris habeantur: ut scribit. *Perez.*

#### C A P U T X I.

**S**ecunda divisio exceptionum est quod sint perpetuae & peremptorizæ: temporales & dilatoriaæ. Perpetuae & peremptorizæ sunt, quæ semper agentibus obstant, & semper rem de qua agitur, perimunt. *l. 2. ff. b. t.* ut exceptio pacti de non petendo in perpetuum, doli, metus, jurisjurandi, transactionis, erroris, pecuniae non numeratae, liberationis legatae, rei venditæ, & similes de quibus vide. *§. 1. 2. 3. 6. 9. Inst. de except.*

Tam ante quam post litem contestatam opponi possunt. *l. 4. 8. 9. Cod. de Except. l. 9. Cod. & prescrip. long. temp.* Nisi sint litis finitæ exceptions, litis ingressum impedientes, quæ ante litem contestatam sunt opponendæ, ut rei judicatæ, jurisjurandi, & transactionis. *Perez. in Cod.* Quædam etiam post latam sententiam ad impediendam executionem opponuntur, ut exceptio. *S. C. Macedoniani, & Veltjani.* Prior filiis mutuam pecuniam accipientibus competens. *S. C.* prohibuit mutuas pecunias dari eis, qui in potestate parentis sunt. Quæ senatus ideo prospexit, quia sèpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in Luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur. *§. 7. Inst. quod cum eo, qui in alien. potest.* Posterior mulieribus pro alio quovis modo intercedentibus competit. *l. 1. Ced.*

## I N A U G U R A L I S. 11

*Cod. de fact. & jur. ign.* Minoribus 25. annis idem. *l. 36. ff. de min.* uti & donatori, marito, patrono, socio, & aliis, quibus permisum est, ne in plus quam facere possunt, ex condemnatione factâ convenientur: Nam inhumanum esset, spoliatum suis fortunis, in solidum damnari. *§. 40. Inst. de act. Perez.* Idem obtinet in exceptione compensationis. *l. 2. de Comp.* Ex confectione inventarii hæredi etiam competit ne damnetur ultra vires. *Jason. ad Leg. l. n. 17. Cod. de fact. & jur. ign. Perez.* Clericus post sententiam etiam auditur. Dilatoria & temporales dicuntur, quæ actionem differunt & suspendunt ad tempus. *§. 10. Inst. h. t.* Quæ respiciunt vel causam, ut exceptio pacti de non petendo ad certum tempus. *§. 10. Inst. & §. 33. de alt.*

Vel personas judicium constituentes, ut exceptio fori non competentis. *l. ult. Cod. b. t. judicis suspecti. l. 16. l. ult. Cod. de judic.* seu non idonei. *l. 12. §. 2. ff. b. t.* similesque. Vel locum tempus aliasque id genus circumstantias, ut exceptio temporis angustioris, loci non tuti. Vel modum procedendi & styli, ordinis non observati. Ordinario ante litem contestatam sunt opponendæ, etiam in bonæ fidei judiciis. *l. 12. 13. Cod. b. t.*

Præterea dividuntur exceptiones in reales & personales & mixtas. Reales quæ rei cohærent ut rei judicatae, doli mali &c. personales quæ certis personis competunt, ut beneficij competentiæ. *l. 12. & seqq. ff. solut. matrim.* mixtæ ut minoris ætatis. *l. 18. fin. & 19. ff. de minorib.*

## C A P U T X I I.

*Vtrum exceptiones reo competentes, fidejussori quoque profint?*

**Q**Uæstio hic occurrit an exceptiones reo competentes, ejus intercessori quoque accommodentur? quod generaliter affirmant in. *l. II. prin. de except.* Estque hujus rei duplex ratio,

una, quod incivile sit, eum, qui pro alio laborat & se in periculum conjicit, ipso liberato in damno versari, & proinde exceptiones reorum intercessoribus competunt, reis etiam invitis. l. 32. ff. de fidej. l. 19. ff. b. t. Altera ratio est, quod si exceptiones intercessoribus non competenter adversus creditorem, & huic illi coacti solverint, haberent statim regressum adversus ipsum reum, cui proinde non proficeret sua exceptio, siquidem actio contra fidejussorem mota adversus ipsum debitorem, vi ipsa & effectu moveretur, & cogeretur judicio mandati fidejussori reddere quod pro eo solvit. §. fin. Inst. de Replic.

## C A P U T X I I I.

*An Reus pluribus Exceptionibus uti potest?*

**H**oc autem ita procedit, nisi lex impedit plures exceptiones opponi. l. 43. Cod. de except. ubi etiam additur, quod quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, unā actor experiri debeat. Nam etsi in judiciis inter utrumque servari debeat æqualitas, hoc tamen rei favor extorsit, ut possit se pluribus modis defendere, non in primā tantum, sed in secunda instantia, cum in utraque de damno vitando agat. Facit etiam quod reus imparatus ad judicium trahatur & pulsetur invitus, cuius proinde conditio foret misera, si una tantum defensione uti posset; actor vero paratus veniat, cum sit in ejus arbitrio litem intentare, & statuere qua potissimum actione utatur, quam si minus commodam elegerit, sibi imputare debet. Ex hac ratione etiam dici posset actori licere uti pluribus replicationibus, quæ sunt exceptiones actoris. l. 2. §. f. b. t.

## C A P U T X I V.

*De Exceptionibus ipsam causam concernentibus.*

**O**ccurrunt autem exceptiones quæ ipsam causam concernunt ut exceptio plus petitionis §. 33. *Inst. de act.* Pacti de non petendo intra certum tempus. §. 10. *Inst. b.t.* Exceptio moratoria, quā debitores, qui citra culpam suam facultatibus lapsi sint, rescripto Imp. aut Principis ad certum tempus contra credidores suos se defendunt. l. 2. *Cod. de precib. Imp. offer. similes que Serva.*

## C A P U T X V.

*De dilatoriis ex persona.*

**E**xceptiones dilatoriæ ex persona sunt; quales procuratoriae sunt: veluti si per militem, aut mulierem agere quis velit. Illa Exceptio opponitur illi qui non potest esse procurator, ut miles, qui, sine offensa militaris disciplinæ suis negotiis superesse potest. Nec mulier potest esse procurator quia procuratoris munus est virile & mulieres ab omnibus verilibus officiis sunt remotæ. l. 2. *ff. de R. J.* Pudor & naturalis verecundiæ ratio prohibet. l. 1. *de postul.* l. 54. *de proc.* l. 18. *Cod. eodem Vinn.*

Exceptionum dilatoriæ effectus est ut aut differant aut transferant iudicium: peremptoriarum, ut intentionem excludant aut minuant. l. 22. *ff. cum leg. seq. b.t.*

Contraria Exceptioni est replicatio: quæ licet sit quædam exceptio; tamen eam oppugnat & excludit l. 2. *b.t.* quemadmodum replicationem duplicatio, & hanc triplicatio, & istam quadruplicatio. l. 2. §. 1. & 2. *b.t.*

Munera non Tyriis ostris distincta, nec auro,

Nec quæ Maurorum Regia dives habet;

Sed quæ Piërides jusserunt mittere vatem.

Hoc fausto cathetras omine scande Deæ!

Vela legas, vates, rapidis inimica procellis

Anxia naufragiis littora cymba legat.

*accinuit*

L. C. M.

J. V. D.

